



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. An attestaciones receptæ per Arbitrum & publicatæ sidem faciant, ac probent coram Judice ordinario, vel delegato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

& successor in iudicio idem quasi Iudex cum priore censetur) & omnibus profunt, quibus prodesse potest res iudicata. Neque tamen receptæ attestaciones inter partes principaliter litigantes ad petitionem tertii intervenientis in iudicio publicari debent, etiamsi illius aliquo modo interfit (ne videatur præjudicium aliquod partibus principaliter litigantibus inferri) quamvis si iuri suo velint partes cedere, publicatio fieri possit, prout colligi potest ex *c. Constitutus* 30. *h. r.*

## §. II.

*An attestaciones receptæ per Arbitrum & publicatæ fidem faciant, ac probent coram Iudice ordinario, vel delegato?*

**R**esp. Probare, & fidem facere coram Arbitris receptas attestaciones, sicuti & alia acta Iudicii instructoria causæ, sive quæ respiciunt factum, & merita causæ etiam coram Iudice ordinario aut delegato, si testes mortui sint, vel si vivant adhuc, in optione partis litigantis est, contra quam testes producti fuerunt, an attestacionibus habitis acquiescere velit, an malit de novo audiri testes, prout deciditur in *c. Presentata* 30. *h. r.* Quamvis enim acta coram arbitris stricto iure non debeant valere ut acta judicialia, cum arbitri tales nullam jurisdictionem habeant, quia tamen arbitria ad instar iudiciorum redacta sunt *l. i. ff. De recept. arbit.* manet etiam ex æquitate sua talibus attestacionibus probatio, præsertim cum mortuis testibus, si eorum attestaciones nihil probarent, perire sæpius posset probandi facultas, & jus alterius periclitari. Hæc tamen in-

telligi non debent de actis ordinatoriis litis sive iudicii, quæ pendent ab instantia iudicii, consequenter hæc expirante, debent illa repeti, nisi partes renuntiare possint, & velint.

## §. III.

*An post publicationem attestacionum idem testes, vel alii super iisdem articulis, vel contrariis produci, & recipi possint, vel non?*

**A**rticuli, qui parti proponenti probandi regulariter sunt, alii dicuntur antiqui, alii dicuntur novi, alii dependentes ab antiquis; antiqui dicuntur, qui jam ante propositi fuerunt in libello super quibus, si testes legitimè jam producti, & recepti fuerunt, ac attestaciones publicatæ, jam non amplius aut alii admittuntur, ut ex dictis patet. Novi sunt, qui non sunt propositi, & ad causam motam sunt impertinentes, neque juvant intentionem Actoris, aut Rei, qui articuli omnino rejiciuntur à Iudice, neque super illis testes admittuntur ad probandum frustra, quod probatum nihil facit ad causam motam. Dependentes denique articuli ab antiquis sunt, & dicuntur illi, qui propositi ac probati adjuvant causam seu intentionem litigantis; qui facti quidem necessitate sub prioribus continentur, non tamen necessitate probationis, prout habetur in *c. Cum Ioannes* 10. *De fid. instrum.* super quibus articulis nova probatio admittitur, nisi articulus talis virtualiter etiam quoad probationem contineretur in antiquis, ut sic enim antiquus censeatur, & nulla nova illis probatio post publicatas legitimè attestaciones admittetur.